



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 160. Dicens: nil tibi & iusto illi v. 19.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

**O** quam pulchra est innocentia! certè si videri posset oculis corporis mirabiles sui in se excitaret amores. O Iesu Innocentissime, O Iesu mansuetissime & pro me pati cupidissime, O Iesu iustissime, fac me, O Iesu, honorare & imitari hasce virtutes tuas ut & ego quoque aliquod harum virtutum possim habere testimonium coram te & hominibus in veritate,

§. 160 *Dicens: nil tibi & iusto illi v. 19.*

Accipio hæc quasi deceret: Caue ò marite: nè fer sententiam mortis etiam volentibus Iudæis, quia iustus est iste Iesus, qui dicitur Christus, nam etsi deessent, quæ probarent eius innocentiam, uti sunt examen Testium, vacillatio accusatorum, evidèntia non facti, mores probi, fama sancta &c. ego tamen ostento diuino extra ordinem naturæ ad contestandam eius innocentiam urgeor &c. Bonum Testimonium! sive à diabolo hoste salutis humanæ processerat, sive à Deo. Sed quod Deus ordinavit in bonum, diaboli astutia mutari non potest in malum: Existimo Deum permisisse hoc somnium & missionem hanc ad Pilatum ex speciali gratia in remunerationem, quod conatus sit toties eripere Christum, ab impiorum manibus) ut confortaret animum Pilati vacillantem & timidum ad iustitiam propugnandam, & manus suas innoxias servandas, ne reus fieret mortis Christi & salvari posset quandoque propagata fide Christiana, aut se postmodum excusare non posset de ignorantia virtutum & innocentia Christi, cum fuerit ita sollicitè admonitus per uxorem, solent enim uxorum preces & monita multum valere apud maritos.

**V**ere iustus es Domine & rectum iudicium tuum in omnibus testante id omni creatura tua, quia semper intendis bonum & salutare, semper jubes sancta: ideo & ego te obsecro mi Deus, ut ad imitationem tuam nunquam ullum malum intendam sive cogitando, sive loquendo, sive operando, ut tu possis glorificari per me in omni tempore.

§. 161. *Multa enim passa sum hodie per visum propter eum. v. 19.*

Rationem allegat mulier quare maritus abstinere debeat à sententiâ mortis Christi, quia multa passi fuisset eo die & per visum propter Christum, notat tempus per verbum hodie quod fuerit circa id tempus quo congregati fuerant principes in domo Pilati ad accusandum Christum, & ipse Pilatus pararet se ad tribunal conscendendum, quod erat circa Germanorum horam à media nocte nonam, sed ab ortu solis mōre Iudæorum computando prope horam tertiam, in æquinoctio, VIII. Cal. Aprilis nec solum passa est propter Christum sed & vidit multa, quæ autem viderit auctor fuisse horrenda supplicia eorum, qui contra Iesum starent accusantes.